MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80777-8

AUTHOR:
HABICH, HEINRICH THEODOR

TITLE:
DE EPISTOLIS THEMISTOCLIS . . .

PLACE:
GOTHA

DATE:
1849

Master Negative #

92-80777-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Habich, Heinrich Theodor
... De epistolis Themistoclis, scripsit Dr. Henr. Theodor. Habich. ... Gotha, Engelhard-Reyher, 1849.
16 p. 26 cm.

At head of title: Programm des Gymnasii illustris zu Gotha ...

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 3/4 x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Programm

des

Gymnasii illustris zu Gotha

als

Einladung zur Theilnahme

an den am 26., 27. u. 28. März zu veranstaltenden Prüfungen sämmtlicher Gymnasialclassen.

Inhalt:

1) *De epistolis Themistoclis. Scripsit Dr. Henr. Theodor. Habich.*
2) *Schulnachrichten vom Director.*

Gotha, 1849.
Druck der Engelhard-Reyherschen Hofbuchdruckerei.

Quamquam eorum, qui artem criticam factitant, ingenio, doctrina et sollertia id effectum est, ut permultae quaestiones eaeque admodum implicitae, quae ad controversiam sunt vocatae, ita ad liquidum sint perductae, ut omnis intelligentioribus exemta sit dubitatio, aliae tamen supersunt minus fortasse contortae aut scrupulosae, in quibus expediendis tantum abest, ut doctorum hominum in unum congruant sententiae, ut vel nostra aetate inter se mire discrepent. Id quod modo posuimus, si, ut vel pluribus exemplis comprobemus, a nobis postuletur, non tamen longe erunt repetenda; verum horum copiam alio, si Deus vires dederit, exhibebimus tempore, nunc quidem acquiescamus in eo, ut unum aliquod, sed luculentum, afferamus exemplum.

Scilicet habemus epistolas unam et viginti, quae Themistoclis, celebratissimi illius Atheniensium ducis, nomen prae se ferunt. Servatae sunt eae in satis vetusto codice, qui, quum olim in bibliotheca Palatina (cf. Sylburg. Catal. MST. Palat. in Mieg. Monumentis pietatis et literariis. Francf. 1702. p. 124.) repertus fuerit, post ex Vaticana cum aliis in Parisiensem translatus videtur (v. Bast lettre critique. Par. 1805. p. 4 et 61.*)). Ex hoc codice descriptas eas primus evulgavit Caryophilus, episcopus Iconiensis (Rom. 1626. 4.); eum alii deinceps secuti sunt, Germani omnes, Ehingerus (Francf. 1629. 8.), Schoettgenius (Lips. 1710.), et nuperrime Bremerus (Lemgoviae 1776.). Hi igitur viri docti, qui in edendis et explicandis illis epistolis peculiarem operam posuerunt, earum, ut mos fere est inter editores receptus, patrocinium ita susceperunt, ut eas pro genuinis et ipsi haberent et aliis venditarent. Tam crebra et diserta commendatione multis de Themistocle vero epistolarum, de quibus agimus, auctore adeo persuasum est, ut nullam amplius suspicionem subesse posse statuerent, id quod aut data opera professi sunt, aut nobis colligendi potestatem dederunt inde, quod earum testimoniis certam tribuerunt auctoritatem. In horum numero sunt Meursius Misc. Lacon. 3. 1., Lydiatus ad Chron. Marmor. Arundel. p. 77., Reinesius Var. Lect. 3. 6., Bose ad Nep. Them., Wernsdorf. ad Himerium p. 142.

Non defuerunt quidem alii, qui aliquam fraudis suspicionem haberent et epistolas Themistocli adscriptas recentiore tempore confictas esse opinarentur. Sed hanc opinionem paucis modo verbis significaverunt, nullis firmaverunt argumentis (v. Leo Allatius dial. de scriptis Socratis p. 75., Dodwellus Annal. Thuc. p. 39. in Duker. edit. Thucyd., Kusterus ad Suidam in Θεμιστοκλῆς, Dorville ad Charit. p. 620. ed. Lips., Fabricius Bibl. Graec. ed. Harles. I. p. 693.). Primus magnus ille

*) Redditus est ille codex bibliothecae academiae Heidelbergensis anno MDCCCXVI. (v. N. 398 in Wilken Geschichte der heidelberger Bibliothek p. 141 et p. 290), cuius codicis conferendi copiam propter temporis angustias mihi non factam esse quam maxime doleo.

Bentleius, ut in aliis rebus quam plurimis, sic in hac quoque quaestione et quaerendi vias demonstravit et sententiam a se prolatam certorum argumentorum pondere firmavit. Nam quum in fidem epistolarum, quae Phalaridis nomen in fronte gerunt, inquireret, ea opportunitate ita usus est, ut de aliorum quoque auctorum, qui in simili causa versarentur, epistolis quaestionem moveret, ac rem suam ea sagacitate ingenii egit, ut simulato Themistocli larvam detraheret et suam sophistae redderet faciem.

A Bentleii iudicio qui recesserunt adeo ad illius viri magnitudinem assurgere non potuerunt, ut eum non sustinerent et brachia, quod aiunt, in ventum iactarent. Ut paucis dicam, perdiderunt operam Schoettgenius et Bremerus, qui veterem illum Themistoclem postliminio quasi redire voluerunt. Prudentius quidem illis egit I. A. Kanne, qui, quum octo priores epistolas in analectis philologicis Lips. 1802. cum annotatione critica recudi curaret, suum de epistolarum auctore iudicium cohibuit. Post hos nuper F. G. Altenburg dissertationem conscripsit de epistolarum Themistoclis authentia (Hal. 1827.), cuius mentionem facit Hoffmann in lexico bibliographico s. v. Them., sed quam ille viam ingressus sit et quam sententiam protulerit, me nescire fateor, quum eius commentatio foris non sit edita*).

Equidem quum per scholastici muneris rationem hoc ipso tempore in Thucydidis historiarum libris explicandis versarer, quae res a Pausania et a Themistocle gestae essent, accuratius cogniturus, epistolas quoque Themistocli tribui solitas curiosius inspexi. Alliciebat statim dictionis quaedam suavitas, quam nemo est Graece doctus quin deprehenderit; mox etiam vidi iis ponderis aliquid tribuendum esse in rerum antiquarum investigatione et enarratione (cf. Dodwell. Annal. Thuc. p. 39., Baumgarten allgem. Welthistorie T. V. p. 281., Fischer ad Corn. Them., Poppo Comm. ad Thuc. I. p. 642. 644. 666., Wagner in Bergk's Zeitschr. f. Alterthumswissenschaft. 1847. 2. p. 118***)). Sic quam casus primum fecerat notitia mox ita crevit, ut interior quaedam inde orta sit familiaritas. Plura in iis iam occurrebant, quae ab aliis aut praetermissa aut non recte intellecta aut secus diiudicata esse mihi viderentur; ipsum adeo Bentleium, quod minime mirandum est, quum Themistoclis epistolas extra causam haberet, quam agebat, quaedam non animadvertisse reperi. Quae quum ita essent, hac opportunitate brevem aliquem libellum publice scribendi ita utendum mihi esse arbitratus sum, ut omnem illam quaestionem de Themistoclis epistolarum origine et fide retractarem. Disquisitio nostra in hoc maxime versabitur, ut, quum lis quodammodo adhuc sub iudice sit, argumenta, quae Themistocli adscribant epistolas, cum iis, quae adulterinas illas statuant, componamus eorumque vim, errores illorum, qui, quod Plinius ep. IX, 38. dicit, maligne legunt**), vitare conati, trutina critica pensemus, deinde nonnullos locos ex iis eligamus, in quibus textus, quem vocant, et sententia harum epistolarum nobis rectius constitui posse videtur***).

Diu latuerunt hae epistolae tenebris bibliothecae Vaticanae obrutae, donec Caryophilus eas primus typis describendas curavit et variantes lectiones margini adiecit, quas quidem ex eius ingenio natas esse suspicari licet, quum nihil de aliis, quibus usus sit, codicibus dixerit. Ante eum nullus veterum scriptorum harum epistolarum unquam iniecit mentionem praeter unum non satis locupletem fideque dignum auctorem, lexicographum Suidam, qui sub v. Θεμιστοκλῆς hoc habet testimonium: ἔγραψεν ἐπιστολὰς φρονήματος γεμούσας. Haud negamus hoc testimonium ad nostras quae perhibentur Themistoclis quadrare epistolas, nam facile animus Themistoclis rerum gestarum gloria clarissimi in his expressus videri poterat Suidae, qui levi negotio etiam in aliis rebus sibi

---

*) Ex litteris V. C. Hartungii, directoris gymnasii Schleusingensis, ad me datis id comperi.

**) Cf. F. Iacobsii Diatribe de re critica. Goth. 1840. p. 10.

***) Lectiones, quas ex ingenio et arbitrio Schoettgenius restituit plurimas, Bremerus summa cum incuria repetivit (cf. V. D. in Neue philol. Biblioth. T. II. p. 276 sq.).

fucum fieri passus est. Eundem epistolas Phalaridis et Hippocratis pro veris venditare videmus, qui vero examinatis iis, quae acute et ingeniose a Bentleio de spuria earum origine disputata sunt, in hoc iudicio cum illo consentiat, nunc putamus fore neminem. Qua in re mirari subit, quid in causa fuerit, ut hae epistolae ad Suidae usque tempora latuerint neque antea a quoquam vel historicorum vel grammaticorum testimonii loco adductae sint, et inexplicabilis profecto est res, quo casu sit factum, ut abdito aliquo loco vel terrarum recessu tam diu latuerint, ut integros mille annos nemini fuerint notae. Comparavit quidem Schoettgenius, acerrimus Themistoclis auctoris defensor, §. 3. praefationis epistolarum editioni praemissae sortem harum epistolarum cum aliis veterum libris, quibus idem accidit, eoque argumentum, quod auctorem suspectum faciat, infringere studet. Nimirum Velleius Paterculus non citatur nisi Prisciani demum temporibus, quingentis annis post quam scripsit, tum de eo siletur usque ad tempora Aventini, nongentis a Prisciano annis. Item Phaedrus primum ab Aviano memoratur quadringentis ab auctore annis nec ab ullo post, donec a Pithoeo editus est; idem accidit aliis, ut Curtio et inter Graecos Maximo Tyrio. Haec quidem scripta a nullo unquam vel aequalium vel aetate posteriorum scriptorum vel citantur vel memorantur, neque tamen spuria nostris temporibus habentur. Sed horum ratio prorsus alia videtur: si inde ab istis temporibus mentio eorum facta non est, in eo cernitur causa, quod in terris occidentalibus illo temporis intervallo in tanta ignorantia et barbarie versati sint homines, ut eiusmodi libri non legerentur, aut, si legerentur, eorum lectores non essent ipsi scriptores neque se eos legisse posteris prodere possent. Neutiquam infitias imus praeter illos multos alios veterum libros esse, quos hodie manu versamus et veros agnoscimus, quorum illis, quibus barbaries grassata est, temporibus a scriptoribus mentio facta non sit, sed prorsus aliam fortunam subierunt epistolae Themistoclis. Nam proximis mille ab aetate Themistoclis annis longissima finiuntur tempora, quibus maxime floruerunt litterae et in tractanda et tradenda historia epistolarum illarum saepissime mentio fieri potuit. Huc accedit, ut scriptores aetate inferiores, etsi de Velleio Paterculo, Phaedro, Curtio et aliis siluerint, nihil tamen dixerint, ex quo cognoscamus non exstitisse tales libros. Si quid ab iis dictum est, quod illorum auctoritate corrigi potuerit, eorum ignorantiae et desidiae, quod vera noluerint exquirere, tribuendum est, idcirco autem negari non potest fuisse tales scriptores. Qui primis illis inde a Themistocle annis floruerunt historiarum scriptores, viros diligentissimos et rerum doctrina clarissimos versatosque in omni librorum genere, Thucydidem, Plutarchum, Diodorum, Aelium Aristidem, alios, qui res a Themistocle gestas descripserunt, vel attigerunt, si iam tum epistolae illae exstitissent, earum certe notitiam habere necesse fuisset. In itinere Themistoclis enarrando inter eos tanta dissensio orta non esset, si epistolas legissent, quae utpote a Themistocle ipso scriptae hanc litem verissime diremissent. Epistola XIX. cognita, nulla exsistere potuisset dubitatio, num Themistocles ad Xerxem profectus tres tantum urbes accepisset, an ab Artaxerxe quinque urbibus donatus fuisset. Iidem contra multa de Themistocle narrant, ex quibus manifesto appareat eos prorsus ignoravisse has epistolas. His addimus recentioris quidem, at non spernendi scriptoris testimonium, scholiastae Aelii Aristidis, qui (ed. Iebb. T. I. p. XII.) disertis verbis negat Themistoclem omnino scripti aliquid reliquisse: τρεῖς φοραὶ ῥητόρων γεγόνασιν, ὧν ἡ μὲν πρώτη ἀγράφως ἔλεγεν, ἧς ἐστι Θεμιστοκλῆς καὶ Περικλῆς καὶ οἱ κατ' ἐκείνους ῥήτορες*). Quibus omnibus ponderatis, iure colligere nobis videmur hoc: si illo tempore, quo callide finguntur scriptae esse epistolae, ab ipso Themistocle ad eos, quorum nominibus inscribuntur, viros tum viventes reapse scriptae fuissent atque transmissae, sequeretur omnino, ut in florentissima litterarum Graecarum tempora inciderent, et a plurimis lectae et imprimis ab historiarum scriptoribus

---

*) Cf. Ruhnken. hist. crit. oratorum Graecorum p. XXXVIII. „Themistoclem et Cimonem nihil litterarum monumentis mandasse satis constat".

commemoratae fuissent; quum vero hi, occasione oblata, ne verbum quidem de iis iniicerent, se nunquam eas cognovisse silentio suo manifesto declaraverunt.

Non nescii quidem sumus hoc argumentum, quod ex silentio scriptorum aliorum contra auctoritatem veteris alicuius scriptoris duci solet, rem neutiquam conficere, eandemque neque probare neque reprobare posse, id tamen certum et indubitatum est, hoc ipsum argumentum, si epistolarum naturam atque indolem accuratius exploraverimus, tanto maiorem habere vim suspicionemque fraudis mirum in modum confirmare. Primum enim mirari licet, qui factum sit, ut ex epistolis, quas Themistocles scripsisse dicitur, eae tantummodo nobis supersint, quae post exsilium sunt compositae, earum vero, quas ante exsilium miserit, prorsus nulla. Ponamus, quod Schoettgenius §. 3. praefat. contendit, scripta eius post exsilium conservari potuisse omnia, nec unam epistolam interiisse (in iis enim, quae supersunt, nulla maioris momenti res, quae Themistocli in exsilio accidit, praetermissa est, imo integram atque numeris absolutam exsilii tradunt historiam), quo iniquo tandem fato accidit, ut eo tempore, quo Themistocles floreret auctoritate maxima et in ore animisque civium insideret, omnes epistolae, quas ante exsilium sine dubio scripserit plurimas, perditae sint? Nulla autem ratione nobis persuadebitur epistolas illas, licet vere fuerint scriptae, e tam remotis terris perlatas omnes ad nostra usque tempora fuisse servatas, nec unam in ancipiti itinere deletam. Si illarum seriem perlustramus, non solum nulla intercidit, sed omnes etiam ad temporum rationem compositae sunt, quod inter indicia fraudis haud fallacia referendum est. In Ehingeriana quidem editione et secundum hanc in Schoettgeniana ordo earum transpositus est, causis non additis, at in editione principe, quae sola in hac re diiudicanda auctoritatem habet, epistolae ex rerum temporisque ordine dispositae deprehenduntur. Ne Ciceronis quidem epistolas omnes Tiro servavit, neque eas, quas servavit, eo ordine, quo scriptae sunt, exhibuit, et Plinius ep. 1, 1. ipse fatetur se non servasse ordinem temporis in epistolarum suarum dispositione; attamen Ciceronis et Plinii aetate longe maior erat cura et intentius studium in conservandis talibus scriptis, quam antiquioribus Themistoclis temporibus. Inde colligere licet sophistam aliquem ex posteriore tantum Themistoclis vitae parte argumenta, quibus epistolas inscriberet, elegisse et res ex historicis, quos eo consilio diligenter perlegisset atque excerpsisset, ordine rebus accommodato per epistolas disposuisse. Nam profecto exsilium aerumnosum, quo Themistocles curis fluctuavit gravissimis, fortuna adversa, quam ingratus et varius Atheniensium animus ei conflaverat, animi perturbatio per acerbas fortunae vicissitudines excitata sophistae alicuius declamationi longe uberiorem suppeditabat materiam et multo aptior eius consiliis erat, quam secundae atque florentes Themistoclis res, quae lectorum animos gravius commovere non possent.

Notum est, quod hic leviter transire et tantummodo perstringere volumus, posterioribus temporibus sophistas saepissime in epistolis veterum clarorum virorum nomine conscribendis et evulgandis gloriae et iactationis causa ingenii vires exercuisse et ostentasse (ἐπιδείξεις). Cf. Acta eruditorum. Lips. 1696. p. 101., Schoenheyder neue Biblioth. der schön. Wissensch. V. 2. p. 292—303. Eas composuerunt secundum leges, quas Dionysius Halicarnassensis et Demetrius Phalereus περὶ ἑρμηνείας de dictione epistolis propria sanxerant. Imitati sunt Heroidum epistolas, quae iam antiquioribus temporibus usitatae erant et per ludum componebantur. Quis non meminit Ovidii Heroidum, in quibus nullum colorem, nullam causam deprehendas, qua vera matronarum Graecarum exemplaria videantur? In scholis sophistarum pensa imperari solebant, ἠθοποιιῶν compositiones, declamationes et epistolae sub nomine et persona herois alicuius imperatorisve magni aut philosophi, τίνας ἂν εἴποι λόγους, quid Achilles, Medea aut Alexander pro varia rerum conditione dixerit. Neque solum epistolas composuerunt, sed etiam responsa hominum, civitatum populorumque moribus et conditionibus affinxerunt. Sic epistolas, quae nominibus Pythagorae, Phalaridis, Hippocratis, Platonis, Chionis, Aristotelis, Heracliti,

Diogenis, Anacharsidis, aliorum philosophorum et clarorum virorum supponuntur, fere omnes a Graecis sophistis ingenii ostentandi et stilo orationis formandae causa confictas esse in dubitationem vocari nequit. (Cf. Coberi praef. ad epist. Chionis. Dresd. 1765., Hoffmanni prolegomena in Chionis epist. in comment. soc. philol. Lips. III. p. 234 sqq., I. C. Orellii epist. crit. in epistolas Socraticas et Pythagoricas p. 325. in ed. Memnonis. Lips. 1816.). His enim argutiis operam dabant ii, qui posterioribus temporibus eloquentiae nomen professi sunt, et quum verae eloquentiae non nisi umbra superesset, quibusdam illorum sophistarum res tam prospere cessit, ut huius generis scripta a lectoribus multis vera opera haberentur illorum, quorum mores exprimere conarentur. Vero igitur nomine celato, sua tanquam aliorum exempla ediderunt et tacitam istam superbiam fraudulentamque voluptatem honestae peritiae suae alios imitandi commendationi apud posteros praetulerunt. In veterum epistolarum auctoribus exquirendis id non omittendum est, artem libros, qui splendidissima quaevis auctorum nomina mentirentur, fingendi atque adulterandi iam antiquissimis temporibus usitatam fuisse. Tum vero maxime vigebat, quum inter reges Pergami et Alexandriae tanta intercedebat aemulatio magnificentiae et amplitudinis bibliothecarum, ut, si qui liber celebris alicuius scriptoris nomen ferret, permagno aere emeretur. Quare factum est, ut scriptores et librarii ad augendum librorum pretium eos viris nomine et fama conspicuis attribuerent, veraque nomina supprimerent. Nec hodie solum, sed iam tum fuit e re scriptoris, qui quaestum faceret libris edendis, ut suo nomine celato personam indueret excellentioris alicuius veteris scriptoris et nomine et gloria, quam scriptis suis sibi compararet, abiectis vitam lautiorem fraude sustentaret. Laudabile quidem sophistarum studium in colenda et perpolienda, cui imprimis studebant, orationis suavitate et periodorum concinnitate ac quadam modulatione, sed id ipsum, quum in eo nimii essent, eos κακοζήλους reddidit et affectatis sententiarum figuris ridiculos atque elumbes. Quum multa eorum scriptis debeamus, quae, nisi illi exstitissent, nobis perdita et ignota essent, non prorsus hanc diligentiam improbabimus, nam multi tum exstabant, qui hodie perditi sunt, historiarum libri et quorum nomine epistolas concipiendas existimabant, eorum res sophistae ex historiis gentium hauserunt, cum quibus iis loquendi et audiendi erat commercium. (Cf. Dodwell Annal. Thuc. p. 39.). Superest nobis libellus conscriptus de ratione formulisque scribendarum epistolarum varii generis ad Heraclidam (ἐπιστολικοὶ τύποι), qui ab aliis Libanio, ab aliis Theoni Alexandrino tribuitur (v. Fabric. Bibl. Graec. I. p. 681.), ex quo rationem cognoscere licet, quam veteres in talibus epistolis inscribendis ineundam censuerint. Nonnullae illarum epistolarum sub vero auctoris nomine in lucem emissae sunt; sic ingenue sophista Mithridates professus est se exercitationis causa responsa ad epistolas Bruti confinxisse, in quibus breviloquentiam Atticam imitari studet (v. Veterum Graec. epist. ed. Lubinus. Heidelb. 1609. p. 188: ᾠήθην δεῖν πεῖραν ποιήσασθαι τῆς ἀντιγραφῆς καὶ πορίσασθαι λόγους, οἵους εἰκὸς ἦν ἕκαστον ἀποκρίνασθαι τῶν ἐπεσταλκότων).

Ad horum scriptorum numerum etiam sophista referendus esse videtur, qui gloriolam in componendis Themistoclis epistolis captavit et, quum posteri tam facile ab eo sibi imponi passi fuerint, arte alios imitandi certe superbire potuit. Nam verborum et sententiarum in his epistolis concinnitas etiam acutioribus hominibus fucum fecit, et quicunque rhetor earum fuit architectus in hominum moribus exprimendis non tam rudis fuit, ut non aliqui artificiis eius decepti ipsum Themistoclem hoc modo se iactare existimarent*). Iis hellenismi antiquitatem, non fucatum atticismum epistolae redolere videbantur, orationis gravitatem, animi magnitudinem, omnino Themistoclis ingenium in iis expressum

*) Risum movet Schoettgenius, quum p. 96. exclamat: „Perpendatis, quid phrasis valeat et stylus ac sententiarum gravitas. Nam si Thucydides ipse admiratus est Themistoclis eloquentiam, et Thucydidem nemo unquam potuit imitari, quis putet exstitisse quempiam, qui scribendo ausus fuerit Themistoclis personam induere?"

esse contenderunt, quod Thucydides I, 138. (cf. Cicero ad Att. X, 8.) tam egregie depingit. Ab hac autem opinione recedere non veremur; argumentum enim ex dicendi genere petitum nobis, si quid aliud, evincere videtur has epistolas Themistocli attribui non posse. Non „uno vel altero loco (quod iam Leo Allatius in dialogo de scriptis Socratis p. 75 suspicatur) auctor se prodit, dum declamatorio modo rem effert et sophistico penicillo depingit", sed fere ubique affectata nobis obversatur declamatio, sophistae accommodata, qui Themistoclis nomen mentitus sit. Quodsi omnes res, quae in epistolis ingenium et animum Themistoclis non referre, sed a vero plane recedere videntur, persequi vellemus, nimis essemus longi. Vix una epistola exstat, in qua auctor pigmentorum flores et colores non sectatus fuerit (cf. inter alia VIII, 3., XI, 8—24., XIII, 1., XIV, 3. 8., XVI, 4., XVII, 12., XVIII, 5., XX, 3.). Si comparantur cum Ciceronis epistolis, quantopere in his ad vivum expressae personae, quanta consiliorum factorumque multitudo et varietas! Quocunque in Themistoclis epistolis te vertis, praeter sermonem affectatum et ambitiosum nihil invenies, quod animum moveat; ille vero ut ab omni epistolarum genere alienus, ita maxime ab ingenio Themistoclis, viri rerum gloria, non inani verborum iactatione conspicui, abhorret. Quod quo clarius intelligatur, velut in tabula proponamus, quae singularum epistolarum sint argumenta. Epist. I. abundat flosculis rhetoricis et transilit modestiae fines: nam nimia est in describenda Argivorum comitate, quae tanta fuerit, ut Themistoclem etiam invitum reipublicae suae administrationem suscipere coegerint. Quis alius, nisi sophista, qui ab omni mediocritate abhorret, lenociniis verborum, superlationibus atque traiectionibus delectatur et fluctus etiam in simpulo movet, gratum, quo Argivi Themistoclem exceperunt, animum tot verbis in maius extollere et ipsum impudentiae arguere poterat? In hac epistola, ut XIII, 2., Themistoclem ab Argivis urbi suae praefectum fuisse praeter omnium historicorum auctoritatem inepte fingit. Cf. Thuc. I, 135. Epist. II. amico Alcetae Pausaniae mortem copiosius et fusius enarrat, quam a Themistocle exspectari poterat, etiam res minutissimas, quae aequalibus sine dubio notae erant. Rhetorico modo fortunam Themistoclis cum afflictis Pausaniae rebus componit et argumentum, quod a sophista tractetur dignissimum, omnibus orationis luminibus exornat: iustas Pausaniam dedisse poenas, Themistoclem utpote dignum, quem invidia exagitaret, felicem esse praedicandum; virtutem solam in causa fuisse, ut eo miseriae redactus esset. — In epist. III. Themistocles satis magnis verbis merita sua de Atheniensibus in mentem Aminiae revocat et lamentatur de ingrato illorum animo, in quo quidem argumento sophista, ut eum decuit, saepe et multum versatur. — In ep. IV. cum inertia amicorum componit studium Aristidis, qui licet inimicus, Themistocli amici officia praestiterit.

In ep. V. gratias Aristidi agit, beneficiorumque vinculis erga eum se obstrictum profitetur et fugae consilium ab eo probatum iri sperat, quem Aristidem ep. VI. et IX. opprobriis vehementissimis lacessit et cui exsul iam in tuto positus diras imprecatur. Iactat in ep. V. fortunae dissimilitudinem inimicitiam mutuam exstinxisse et iam ep. VI. sibi repugnat et invidiose Aristidem calumniae arguit, qui itineris ad regem Persarum suscepti causa odium Atheniensium in ipsum contrahere studuerit: ostendit nihil eum iuvisse malas artes, ostracismo enim se non ad peiorem, sed ad meliorem fortunam pervenisse. — In ep. VII. laudi sui ipsius quam maxime indulget et iterum iterumque queritur se, qui secundarum Atheniensium rerum auctor iis viam ad prosperum civitatis statum aperuerit, ab ingrato populo eiectum fuisse. Non absimilis haec epistola illi Ciceronis ad Sulpicium epistolae (ad div. V, 12.), propter quam ille iniqua plurimorum iudicia expertus est. — Ep. VIII. mere obiurgatoria, vix digna erat, quae a Themistocle e longinquo itinere Athenas mitteretur. Calliam cum muribus comparat, qui mortuis leonibus insultant, minis additis, si ipsum aliquando fortuna in meliorem conditionem reduxerit. Versus ex Hom. Od. VIII, 329. citati *οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα* a sophistis non raro in rem suam adhiberi solebant.

In ep. IX. denuo declamat in Athenienses, qui beneficiorum suorum obliti ad ostracismum etiam capitis damnationem addiderint, atque irascitur, quod Athenienses ad hanc poenam sibi irrogandam a Lacedaemoniis se permoveri passi fuerint. Sophistae erat copiosius exponere, quantopere Lacedaemonii de Themistocle per Athenienses e medio sublato exsultaturi essent §. 4—9. Omnino amico Habronycho verbosius, quam necesse erat, ea perscribit, quae iam diu ad aures eius pervenisse oportuit. In conviciis, quae §. 10. in Aristidem iactat, parum ingenii elucet. Ut vulgo enim pusilli animi erant qui talia comminiscerentur sophistae, laborem valde ignobilem susceperunt et semet ipsos potius quam quorum agebant personas exprimebant. Neque enim noverunt, quemadmodum servarent, quod viros illos praeclaros deceret. Aristidem malevolum et infidum vocat, cui ne infensus quidem esse poterat, quod in ostracismi iudicio Themistocli aequissimus fuerat*).

Ep. X. rem adeo levem tractat, ut vix digna sit, quae ad amicum e remotis regionibus perferatur. Sophista stat promissis, ad propositum revertitur et narrationem excipit, qua in ep. IX. substiterat. Inde quod sub finem huius epistolae in lacinia, quam Ehingerus in epist. ed. Francf. 1629. adtexuit, Boiorum mentio fit, qui contra Xerxem in pugna navali dimicassent (*ἐν τῇ κατὰ Ξέρξου ναυμαχίᾳ οἱ Βοῖοι καλῶς καὶ ἀνδρείως ἐπολέμησαν*), pro adulterina harum epistolarum origine argumentum peti non posse videtur, nam verba haec desunt in editione principe, et quum praecedentibus non apte conveniant, commode eiici possunt; quamquam sane mirari licet, qui factum sit, ut insipida ista adiecta fuerint, nisi forte pro *Βοῖοι* *Βοιωτοί* legas (cf. scripturae compendium *Βοιω*$^{\tau}$ ap. Bast. Comment. palaeogr. ed. Schaefer. p. 791.) et ad glossemata referas, de quibus infra dicemus. — In ep. XI. invidet Themistocles quodammodo amicis, quod iureiurando proditionis suspicionem a se depellere potuerint, ipsi autem hoc non licuisse: ruinam templi iis imprecatur, qui ad iusiurandum illos adegerint. Se, qui antea Graecorum Pythius Apollo vocatus sit, extra Athenas degere coactum; cui Olympiis Graeci assurrexerint, nunc neque domicilium profanum neque sacrum locum concedi, quo supplex confugiat. Fieri non potest, quin his flosculis rhetoricis semet ipse prodat sophista. Diu cunctatus aperit tandem consilium itineris ad regem Persarum faciendi, quo neque pater neque Neocles patruus ab inferis excitati, neque augurium se avertere possint. Nimirum mediocria fastidit sophista et testes quoscunque adducendos esse existimat. Ferventiore Themistocles animo, qui periculis fractus aliquid statuerit, quod praecipitis et dubii animi esset (v. Schoettgen. p. 12. praef.), immoderatius haec dicta vix excusari poterunt. — Ep. XII. narrationem itineris continuat et Themistoclem ad Corcyraeos pervenisse eorumque animos ad auxilium ferendum minus propensos reperisse Niciae et Meleagro nuntiat.

Ep. XIII. et XIV. ad Pausaniam scriptae patriae quidem amorem spirant, nihilominus tamen sophistarum potius argutias quam Themistoclis ingenium referunt. Ostendunt nobis auctoris diligentiam, qui materiam luculentam atque copiosam tractandam sibi sumserit. In priore epistola, antequam Pausaniae detecta esset proditio, scripta eum monet, ut res secundas moderato animo ferat, seque ipsum exemplum fortunae subito in deterius mutatae proponit; in posteriore, quum Pausanias conspirationis iam suspectus esset, singula, quae ad proditionem eius spectarent, tam prolixe perscribit, quasi Themistocles ipse causae eius cognoscendae interfuerit. Sine dubio sophista, qui has epistolas scripsit, quae Pausaniae postea acciderant, Thucydidis, Plutarchi, Diodori aliorumque libris edoctus accuratius et melius post eventum cognita habere et copiosius exponere potuit, quam Themistocles ipse itinere longinquo ab eo remotus. Convicia, quae §. 7—8. in hominem iactat, qui eum non laeserat et quem

*) Cf. Wagner in Bergk Zeitschr. f. Alterth. 1847. 3. p. 199: „Profecto, si quid aliud, erat sophistarum historiam affectantium, causas aemulationis et inimicitiae, quae Themistocli cum Aristide intercessit, vel ab incunabulis coniiciendo investigare."

a pernicie revocare non poterat, prorsus a Themistoclis moribus abhorrent; sophista vero Plut. Them. 23. et Ephorum secutus, qui (fragm. ed. Marx p. 222.) tradit Themistoclem conscium fuisse proditionis a Pausania agitatae cum ducibus regiis, nec tamen sibi persuaderi hoc passum esse, neque admisisse Pausaniam, a quo ad spei societatem vocaretur, in huiusmodi conviciis contexendis ingenium exercere sibi proposuerat.

Ep. XV. et XVI. ad Philostephanum datae res tractant levissimas. In priore invehitur in amicum, qui negaverat se ab Themistocle pecuniam acceptam habere (cf. Thuc. 1, 137. 3. et Plut. Them. c. 24.), exprobratque beneficia antea in eum collata; in posteriore placato et reconciliato animo respondet se nuntio deceptum fuisse et culpam in Tibium, irae auctorem, coniicit. — In ep. XVII. profitetur se non tam fortem ad sustinenda exsilii mala esse, quam ipse speraverit, in quo argumento a sophista diligenter tractato sententias iam prioribus epistolis prolatas repetit, sibique ipsi non constat, nam qui ep. XI. magna verba de consilii constantia iactavit, denuo in mentem amici revocat, quae in patriam contulerit beneficia, quantopere de conservanda civium libertate meruerit, iterum iterumque de afflictis suis rebus Atheniensiumque ingrato animo lamentatur. Nihilominus operam suam ingratae patriae non defuturam esse dicit: in exsilium Athenienses ipsum proiicere potuisse, at nunquam impietatis in patriam notam se subiturum. — Ep. XVIII. gratias agit amico Polygnoto, qui Themistoclem de Atheniensium consilio, quo proditionis Pausaniae socium pari poena affecturi essent, admonuerat (cf. Thuc. I, 135.).

In ep. XIX. et XX. sophista copiose et diserte complectitur, quae Themistocli, postquam Argos reliquit, in fuga acciderunt. Res singulas fusius tractat, imo nonnulla narrat, de quibus Thucydides, Plutarchus et Diodorus nihil dixerunt, quae ex scriptore aliquo, cuius opera deperdita esse credideris, hausisse aut quae de suo addidisse videtur. Multa fabulis similiora loquacius admiscet quam Themistoclis moribus consentaneum videtur. Sic XIX, 27—32. temere fingit Themistoclem a Diopithe quodam agnitum et, ut quis esset, naviculario patefaceret, permotum esse. In iis, quae de Admeto, Molossorum rege, narrat, ep. XIX. repugnat epistolae XX., in una §. 19. rex ille Themistoclem ab omni Atheniensium iniuria per se defensum iri pollicetur, in altera §. 4. negat se ei opem ferre posse Atheniensium et Lacedaemoniorum iram timentem (v. Thuc. I, 136.). Non licet existimare Themistoclem tam inepto modo in verbis sibi ipsum dissensisse, sophistae autem ingenio aptum videtur exercitationis causa argumenta variare; quae ep. XIX. §. 16 sq. Admetum in Themistoclis gratiam declamantem facit, artis rhetoricae ἐπίδειξιν nobis exhibent, in rerum narratione sophista scriptorem aliquem secutus est, qui ei praeter res etiam nomina regiae uxoris Cratesipolidis et filii Aribdae tradiderat. Verba *Γέλων γὰρ δὴ τότε Συρακουσίων ἐμονάρχει* et sq. XIX, 7. et §. 11. *Ἀδμήτῳ δὲ τότε ὑπήκουε τὸ Μολοσσῶν ἔθνος* sq. lectorum in gratiam posita a nullo nisi a sophista profecta videntur, qui personam Themistoclis, quam induerat, oblitus ad edocendos lectores haec intexuit. Polygnoto enim, Themistoclis amico et rerum, hominumque illius aetatis apprime gnaro, haec omnia non poterant ignota esse. Quae XIX, 36. de opera Artabazi, qua in Asiam mediterraneam ad regem missus sit, et de adventu suo apud regem narrat §. 41 sq., paulo aliter exponuntur XI, 28. 29. Ut parum sibi constare solet, §. 36. regem Persarum Xerxem nominat et tamen in oratione, quam §. 45. ad illum habet, ea patri illius significata esse narrat, quae ipsi Xerxi scripta esse notissimum est (cf. Poppo Comm. ad Thuc. I. p. 667.). — Regionum illarum prorsus immemor ep. XX, 5. pessime scribit *Ἀλεξάνδρου ἐπέβην ὁλκάδι, εἰς Πύδναν τὰ νῦν ὥρμητο ἡ ναῦς, ἐκεῖθεν δὲ ἐπίδοξος ἦν εἰς τὴν Ἀσίαν καταίρειν*, quasi ex Epiro totam Graeciam circumvectus in Macedoniam venisset.

In ep. XXI. ultima, quam sophista e Perside missam facit, Themistocles vasa aurea et argentea, crateras et thuribula in Graecia relicta, ut sibi in Persiam mittantur, postulat. Fraudis occultandae

causa egregium ducem sophista de industria etiam res levissimas ad amicos perscribentem introduxisse videtur.

Quid multa? fere ubique his epistolis vestigia impressa videmus, e quibus, qui earum auctor fuerit, non obscure appareat. Sententiae illae crebrae, acutae, magnificae, orationis novitas, adspersi poetarum flores, omnis ille apparatus, illa pigmenta sophistae alicuius officinam redolent, et satis constat hoc paene proprium illorum hominum fuisse, ut in laudandis ornandisque factis clarorum virorum nihil non fingerent, nihil non artificii et coloris ad excitandam admirationem et ingenii gloriam accommodarent. Ridens quidem, sed verissime Atticus apud Ciceronem Brut. XI. dicit: „rhetoribus concessum est ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius: ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit" (de quo Stratocle cf. Ruhnken. ad Rutilium Lupum p. 32 sq.).

Si vero ea, quae adhuc disputavimus, fraudem ficto auctoris nomini subesse iam probare videntur, vel ipsa dictionis ratio illi, cui tribuuntur epistolae, aetati omnino non favere videtur. Attica quidem dialecto utitur hic scriptor, quam tantopere adamabant sophistae, ut ea suas *μελέτας* conscriberent, et alius alium affectatione quadam superare studerent, qui autem Themistoclis aetate erat sermo Atticus, in his epistolis expressum non videmus, sed longe recentiorem, cuius omnis color ex saeculis posterioribus tractus est. Haud ignoramus argumenta, quae e sermone solo ducantur, subtiliora et incertiora esse et plerumque notas obscuriores habere, quam ut ex iis certo iudicare possimus. Fuerunt sagacissimi doctissimique homines, quos hoc coniecturarum genus falleret*). Si vero epistolae a Themistocle ipso florentissimo litterarum Graecarum tempore essent scriptae, sine dubio omnes locutiones et vocabula Graeca recentioris originis fuissent exclusa et ea modo a scriptore nostro collocata, quae in Platonis, Xenophontis caeterorumque huius aetatis scriptorum genuinorum libris leguntur. At vero accuratius perlegenti multa invenientur, quae recentiorem Themistocle auctorem prodere videantur; nonnulla eligamus.

Ep. I, 1. *ἀπερχόμενοι*, cf. Elmsleius ad Eur. Heracl. v. 210. — 2. *πανσάμενοι ἐγκαλεῖν*, infinitivum cum *παύεσθαι* coniunctum improbat Thomas Mag. ed. Bernard. p. 696. — 3. *οὐ μακρὰν ἦσαν ἐπαινεῖν Ἀθηναίους*, non multum abfuit, quin Athenienses laudarent. — *ὑβρίζειν τὸ εὐτύχημα τῆς ἀπαντήσεως*, irritum reddere felicem occursum. — Ep. II, 2. *τὸ ἄχρι βασιλέως ὄνομα*, nomen regium, quo adhuc usus erat, cf. §. 12. — 9. *ἄμυνα*, ulciscendi cupiditas, v. Ruhnken. ad Timaeum p. 26., Pierson. ad Moerin. p. 81., Oudendorp. ad Thom. Mag. p. 42. et Lobeck. ad Phrynich. p. 23., qui hac voce ante Philonem et Plutarchum nullum Graecorum scriptorem usum fuisse contendunt. — *ἀκμήν*, adhuc; v. Moeris ed. Pierson. p. 79., Bekker. Anecd. I. p. 77., Thom. Mag. p. 378. et Lob. ad Phryn. p. 123. — *φοβούμενος, εἰ ἐμπέσοι ἀποτυχεῖν*, timens, ne forte rem non perficeret. — 12. *ἡ ἐπιχείρησις ἔστη λανθάνουσα*, inceptum latere desiit. — 20. *παρέχειν τινὶ ὑπὸ ἐνδείας ἀπολέσθαι*, fame aliquem enecare. — Ep. III, 1. *εὖ οἶδας* et iterum XVII, 2., de hac forma cf. Moeris ed. Pierson. p. 283., Thom. Mag. p. 646., Lob. ad Phryn. p. 236., Reisig. Comm. crit. ad Soph. Oed. Col. 878. — 3. *ἐπιβόητος*, clarus, celeber, v. Thom. Mag. p. 210., Ammon. ed. Ammon. p. 59. — 5. *τῷ παντί*, omnino, cf. XI, 21. — Ep. V, 2. *ἰσχύειν* cum infinitivo coniunctum apud Philonem demum et Phalar. ep. p. 216. invenitur. — Ep. VI, 2. *τρόπαιον νεανικῶς εὐμέγεθες*, tropaeum mirum in modum magnum.—

*) v. Bentleii opusc. ed. Lips. p. 8: „Edidit versus quosdam iambicos tanquam egregium veteris poetae tragici fragmentum a Mureto acceptum summus Scaliger, quos ille non multo post per iocum a se fictos declaravit", et quae seqq.

5. πνιγέσθω πᾶς, rumpantur cuiusque ilia, v. Thom. Mag. p. 9., Moeris p. 62. — δεξιώτερον ἡμῖν ἀπήντηκε, faustius aliquid nobis evenit. — Ep. VII, 4. φανεροὶ τῆς κακίας, sceleris manifesti. — Ep. VIII, 3. περιεργάζεσθαί τινα, molestare aliquem negotiis περιέργοις. — 8. πᾶσιν ἐσμὲν περίπατος (si lectio certa), omnium pedibus calcamur. — Ep. IX, 1. φθόνος ταχὺν ἴσχων τὸν μετάμελον ἐν τῇ πόλει, invidiae urbem mox poenitere coepit. — 2. φυγαδεύειν, quod verbum Lob. ad Phryn. p. 385. non valde a veteribus receptum dicit. Cf. Bekker. Anecd. I. p. 115. — 4. μαστήρ, inquisitor, cf. Bergler ad Alciphron. I, 11. ed. Wagner. p. 66., Parthen. Erot. 1. — 6. συνηγορία, defensio. — 16. βοηθεῖν ἄντικρυς, obnixe opitulari; cf. ep. XI, 18. ἄντικρυς ἀφῃρημένος τὴν πόλιν, urbis usu prorsus privatus; cf. Bekker. Anecd. I. p. 198. et 408. — 21. τὴν ἀπάλλαξιν στέλλεσθαι, remittere. — Ep. X, 1. τεθάῤῥηταί μοι τὰ μεγάλα, passive hoc verbo tantum recentiores scriptores, ut Ioannes Malala, utuntur. — Ep. XI, 5. ἀῤῥήτως κακῶς πεπραγέναι. — 7. τὸ πρὸς ὑμῶν ὀμνυόμενον ἕδος τῆς θεοῦ. — 11. πλήρεις ἐμοῦ εἰσίν, satietas mei eos cepit. — 25. ἀποκεκινδυνευκότα μᾶλλον ἢ παρακεκινδυνευμένον ἀναῤῥίπτειν κύβον.

Ep. XIV, 7. ἀγγελιαφορεῖν, quod verbum apud scholiastas invenitur. — Ep. XV, 4. ἀθεώρητος, non exploratus. — 13. ἀντεπιστέλλειν, apud Iosephum et Alciphr. II, 4. — Ep. XVI, 2. ἔγγραπτον, i. q. συγγραφή. — 8. διαγανακτεῖν. — ἐπιτρέχειν τινός, invehi in aliquem. — Ep. XVII, 7. πάροικοι, i. q. μέτοικοι. — 10. οἱ λόγοι ἀποδράσονται, verba irrita fient. — Ep. XVIII, 1. νεαλής, de nave; cf. Ammonius p. 189., Bekker. Anecd. I. p. 52. — 5. διαγορεύειν, nuntiare. — Ep. XIX, 8. σκέπτομαι pro σκοπῶ aut σκοποῦμαι; cf. Elmsleius ad Heracl. v. 148., §. 27. ἐσκέπτετο. — 13. καταστῆναί τινι, accedere ad aliquem. — 25. ἀκμητί, facile. — 40. φωνῆς ἀντιλαμβάνεσθαι, sermonis peritum esse, vituperatum a Luciano Soloec. 8. — Ep. XX, 6. προμηθῆ εἶναί τινος, alicui favere. — Ep. XXI, 1. θυμιατήρ, apud scriptores ecclesiasticos.

Ad poeticas dictiones referenda sunt θερμὸν πρᾶγμα, II, 9., οἴκτιστος, IV, 3., ἐπίκοτος, IX, 10.; ad ἅπαξ εἰρημένα διάπεμψις, II, 10., προςοδύρεσθαι, lamentari apud aliquem, IX, 7., ἐνασεβεῖν et ἐνεπιορκεῖν passive XI, 13., συναίρεσθαί τινι, una cum aliquo proficisci, XIX, 2. Lexicis addenda sunt adiectiva verbalia στερκτέος, IX, 18., δεδιττέον, XI, 12. et περιθεάομαι, circumspicio, XIX, 41., nomina propria Δέρκων, Κέλων, Ἐχμόχλης (?), Λακρίδης (fort. Λακρατίδης), Στράτιππος, III, 4., Πρινάπης (leg. Προνάπης, cf. Isaeus 7. 18. 39. et Bekker. Anecd. I. p. 294.) XI, 1., Τισίνικος, XI, 6., Πολυπνίων (leg. Πολυτίων; cf. Andoc. 1. 12.; Plut. Sympos. 1. 4. 3.), Μνηστορίδας, XIV, 7., Ἀρίβδας, XX, 3.

In huiusmodi disquisitione temporum quoque dissensio maximum habet momentum et si ea, quae ex illorum notatione petuntur, argumenta cum iis, quae supra disputavimus, coniungi possunt, auctoritatem harum epistolarum quam maxime infringi sponte apparet. Quum vero Themistocleorum temporum ratio non tam plana et aperta sit, ut certi quid ex ea effici posse videatur, quae Bentleius (p. 43. opusc. ed. Lips. 1781.) inde contra epistolarum fidem profert argumenta incertiora et contortiora existimanda sunt. Quod iam Plutarchus fatetur (vit. Them. c. 27: τοῖς δὲ χρονικοῖς δοκεῖ μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθαι, καίπερ οὐδ' αὐτοῖς ἀτρέμα συντατομένοις), illorum temporum notationem paene confusam dixeris, nam mirum in modum viri docti, ut Dodwell (Annal. Thucyd.), Clinton (fasti Hellenici), C. Krügerus (histor. philolog. Studien. Berl. 1837.), Kleinertus (Beiträge zu d. theol. Wiss. Dorp. II. p. 1—232.), et Wagnerus (de Themistocle exule, in Bergk Zeitschr. f. Alterth. 1847. 2. 3.) in eorum computatione dissenserunt. In ep. XIX, 7. legimus Themistoclem, quum Corcyrae esset, iter ad Gelonem, Syracusarum tyrannum, meditatum, quum vero iam in eo esset, ut navem conscenderet, nuntium allatum esse, Gelonem mortuum eique fratrem Hieronem in regno successisse. Themistoclem Athenis ostracismo eiectum esse contendunt plerique Ol. 77. 2. a. Chr. 471. (v. Clinton Fast. Hell. ed. Krüger. p. 38., Wachsmuth. hellen. Alterth. II. p. 56.), Krügerus (l. l. p. 49.) a. Chr. 476. aut 475.; a Lacedaemoniis proditionis accusatum Argis Corcyram confugisse plerique Ol. 78. 1. a. Chr. 468. aut 467., Krügerus Ol. 77. 1. a. Chr. 472. (quocum consentit Wagnerus l. l. p. 204.); Gelonem vero imperium Syracusarum tenuisse usque ad annum Ol. 75. 3. a. Chr. 478. existimant Clinton p. 32., Boeckh. Explic. ad Pind. p. 100., Dissen. ad Pind. Ol. I. p. 3. Ex hac igitur temporum notatione levi negotio evinci potest eo tempore, quo Themistocles ostracismo eiectus Corcyrae degeret, Hieronem non potuisse demum Geloni succedere, quum iam aliquot annis ante imperium suscepisset. Attamen dissimulare non licet Stesimbrotum, historiarum scriptorem, Pericli et Cimoni aequalem et Thucydide antiquiorem, cui fides haud prorsus deroganda videtur, tempora et Gelonis et Hieronis recentiora reddere (v. Dodwell Ann. Thuc. p. 39. in ed. Duker.) et Themistoclem ad Hieronem confugisse narrare (cf. Plut. Them. 24.), a quo repudiatus tum demum de itinere in Asiam suscipiendo cogitaverit. Fortasse eundem scriptorem secutus auctor chronic. marmoris Arundeliani Gelonem archonte Timosthene a. Chr. 478. imperium Syracusarum suscepisse, et Hieronem archonte Charete, a. Chr. 472. Geloni successisse statuit (v. Marm. Arundel. ep. 53. et 55. in Boeckh. Corp. Inscr. II. p. 339., Lydiat. ad Marm. Oxon. p. 224., Corsini F. A. T. III. p. 170., Baumgarten allg. Welthist. Zusätze I. p. 178., Welthist. T. VI. p. 298. et Gibert. in Mem. Acad. Inscr. T. XXIII. p. 78.), ita ut mors Gelonis in primum Themistoclis exsilii annum incideret. Ob quam temporum dissensionem hoc tantum pro certo haberi posse videtur, auctorem epistolarum Stesimbroti aut alius scriptoris hunc in temporum notatione sequentis auctoritate nixum hoc Themistoclis iter ad Gelonem in epistola memorasse.

